



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopi presbyteros suos de ministeriis illorum diligenter discutiant.
lxxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

cum & apostolicum atque ecclesiasticum, cum dominus Mosidicat: Speculatorem dedi te domui Israël, & audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me, &c. à com-
prouincialibus episcopis, acrius corripiantur.

*Vt episcopi presbyteros suos de ministeriis illorum
diligenter discutiant. Cap. LXXXV.*

PLacuit nobis atque conuenit, vt episcopi per singulas *Ex cōcil.
Braggat.
cap. 2.*
Ecclesias & diœceses euntes, primùm discutiant cle-
ricos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum,
& qualiter quæque officia in Ecclesia peragant. Et si re-
ctè quidem inuenerint, Deo gratias: Sin autem minimè,
docere debent ignaros.

*Vt episcopus cum paucis suam parochiam cir-
cumeat. Cap. LXXXVI.*

Cvm episcopus suam diœcesim visitat, nulli præ mul- *Ex cōcil.
Toletano
cap 5.*
titudine onerosus existat, nec vnquam quinquage-
narium numerum euectionis excedat, aut amplius quàm
vna die per vnamquamque basilicam remorandi licen-
tiam habeat.

*Si episcopus parochiam suam visitare nequiuerit, viros
probabilis vitæ pro se mittat. Cap. LXXXVII.*

Quòd si episcopus, aut languore detentus, aut aliis *Ex eodē.
cap. 6.*
occupationibus implicatus visitationem diœceseos
explere nequiuerit, presbyteros probabilis vitæ, aut dia-
conos mittat, qui reditus basilicarum & reparationes, &
ministrantium vitam inquirant.

*Qualem ministrum episcopus iuxta se habere de-
beat. Cap. LXXXVIII.*

VT quisque episcopus talem iuxta se pro viribus ha- *Ex cōcil.
Meldesi.
cap. 3.*
bere decertet, qui iuxta syncerissimum & purissi-
mum sensum catholicorum patrum, fide & obseruatione
mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina, presby-
teros plebiũ assiduè instruat & informet, ne domus Dei
viui, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi diuini remaneat.
Sed & idem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet,
aut reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est,
quòd quum Moses querelam in conspectu Dei poneret,
non se posse portare tantum onus, quod ei fuerat imposi-
tum, audiuit à domino: Congrega mihi LXX. viros de se-
nioribus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sint ac